

voluistis, vel quod obsequiis vestris indignos nos iudicastis, vel quod gravate nos difficulterque hoc muneris laborisque suscepturos veritus estis. Ego vero ne tacitam quidem flagitationem vestram mihi dissimulandam arbitratus, voluntati vestrę libentissime parui, hanc vicem expensi eris a vobis expectans, ut si quid sit, quod nostra tenuitas in hac vobis litteraria opera prestare valeat, id a me pro imperio postulare iam ultra non gravemini; non quod emolumentum aliquid questumve aliquis me credat aucupari, sed magis, ut ille ait¹: 'Principibus placuisse viris non ultima laus est.' Et quia rustici homines, ubi dominos prelati delinire^e munusculis, licenciosa quadam libertate dicendo tacenda solent effundere, hac et ego adductus imagine velim vos unice commonitum, ne pie sollicitudinis, qua pusillum gregem sancti Stephani alendum fovendumque suscepistis, vos peniteat aut pigeat; non quod fervorem caritatis vestrę refrixisse subarguam, sed ardenti lucerne, ut aiunt, oleum instillo. Inpudentie forsitan videatur gratuitam libertatem tam inopportunis urgere precibus. Sed ut nobis tantum in vos liceat, non hoc nostrę improbitatis est, sed vestre probitatis. Verum quia audio vos de difficultate domni nostri non nichil moveri, quasi parum conatibus vestris optimis aspiret, nolite queso ulla quantumlibet iusta excusatione tam felicitis propositi cursum abrumpere. Salus enim animę vestre agitur, quę tanto gloriosius quanto laboriosius obtinetur. Et quia semel rusticus esse cepi, cavete rogo illum evangelicum, qui 'cepit edificare et non potuit consummare'.² Erat enim hoc prius libere voluntatis, modo vero, ubi tam feliciter hoc destinastis, est etiam cuiusdam necessitatis. Felix autem est necessitas, que ad meliora cogit. Sed quid ago? quę me amabilis ludit insania, qui tam verbosis ineptiis seria vestra interpellare audeam? Ego vero non iam deumbratus, sed verus rusticus evasi, dum sic incondita loquacitate oculos auresque vestras attonitas reddo. Verum malim^f rustice verus quam urbane falsus videri. Bonus ergo ille spiritus vos in omnibus et per omnia et ducatu suo gubernet et splendore sue veritatis illuminet.

32. ^e) *erg. student o. ä.* ^f) *mali c.*

¹) *Horaz, Epist. 1, 17, 35.* ²) *Luc. 14, 30.*